

Adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret. Denique ceterae res, quae expetuntur, opportunae sunt singulae rebus fere singulis: divitiae, ut utare; opes, ut colare; honores, ut laudare; voluptates, ut gaudeas; valetudo, ut dolore careas, et muneribus fungare corporis. Amicitia res plurimas continet: quoquo te verteris, praesto est, nullo loco excluditur; numquam intempestiva, numquam molesta est: itaque non aqua, non igni, ut ajunt, pluribus locis utimur, quam amicitia. Neque ego nunc de vulgari, aut de mediocri, (quae tamen ipsa et delectat, et prodest), sed de vera et perfecta loquor; qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam et secundas res, splendidiores facit amicitia, et adversas partiens communicansque leviores.

Cumque plurimas, et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bonam spem praelucet in posterum: nec debilitari animos, aut cadere patitur. Verum etiam amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca et absentes adsunt, et egentes abundant, et imbecilles valent, et, quod difficilius dictu est, mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. Ex quo illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis. Quod si exemeris ex natura rerum benevolentiae conjunctionem, nec domus ulla, nec urbs stare poterit; ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intelligitur, quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. Quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti? Ex quo, quantum boni sit in amicitia, judicari potest. Agrigentinum quidem, doctum quendam virum, carminibus Graecis vaticinatum ferunt: quae in rerum natura totoque mundo constarent, quaeque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Atque hoc quidem omnes mortales et intelligunt, et re probant. Itaque, si quando aliquod officium existit